Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26346
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Primam quia de eo scriptum est. erat subditus parentibus suis.
Secundam. quia non uenit legem soluere sed adimplere.
Circumcisio in eo. oblatio pro eo legalis pacta est. Addi-
dit his duabus iusticiam pietatis. quam lex nesciebat.
miserorum misertus est. et pro abluendis fons est ablutionis
ablutus. Hoc itaque impleto. impleta ab eo omnis iusti-
cia. Baptizatus autem ihesus. confestim ascendit de aqua.
Vade. et tu fac similiter. Cum fuis baptizatus et lotus a
sordibus lauacro flebilis penitentie. confestim. i. cum fe-
stinatione. nec enim abre ait confestim. ascende de uir-
tute in uirtutem. deinde uidebis dominum deorum in syon.
quia celi aperientur tibi. sicut exemplari tuo aperti sunt. et ui-
dit spiritum dei descendentem sicut columbam. et manentem
super eum. Describit beda super hunc locum septem naturas co-
lumbe. ualde morales et septiformi spiritui idoneas.
quas quia ipse posuit. nos post posuimus. et lectorem ad illam
mittimus omeliam. Notandum quod spiritus sanctus super dominum in co-
lumba. super discipulos in igne apparuit. Patet ratio.
In illo in columba. quia uenit nos per mansuetudinem
colligere. mitis et humilis corde. In illis igne. quia
eos ad consumandam peccatorum rubiginem. contra semet-
ipsos ueniebat accendere. ihesus christus dominus noster. qui est.

Super Quem uideris Dicit Epyph.
spiritum descendentem et manentem super eum. hic qui
baptizat in spiritu sancto. Ab hac apparitione spiritus descen-
dentis huius hodierna nomen est sortita sollempnitas.